

eadem more polluerentur. Nullum itaque Aegypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapis fanum recepit: Horum alterum uix ægreque à uobis admittum audio, Saturnum uero uel maximo inter cæteros honore celebratis. Si ergo nihil est, quod me hoc scire prohibeat, uolo in medium proferat. Hic Auienus in Prætextatum expectationem cōsulenti remittens, licet oēs, ait, qui adsunt, pari doctrina polleant, sacrorum tamen omnium Vectius unice conscius, potest tibi & originem cultus, qui huic deo pendit, & causam festi solennis aperire. Quod cum Prætextatus in alios refundere tentasset, oēs ab eo impetrauerunt, ut ipse differeret. Tunc ille silentio facto, ita exorsus est:

Saturnaliorum
origo.

Saturnaliorum
causa una.

Saturnaliorum originem illam mihi in medium proferre fas est, non quia ad arcanam diuinitatis naturam refert, sed quæ aut fabulosis admittenda differit, aut à physicis in uulgus aperit. Nam occultas & manentes ex meri ueri fonte rationes, ne in ipsis quidem sacris enarrari permittitur. Sed si quis illas assequitur, continere intra conscientiam tectas iubetur. Unde quæ scire fas est, Horus noster licebit mecum recognoscat. Regionem istam, quæ nunc uocatur Italia, regno Ianus obtinuit. Qui (ut Higinus Protarchum Trallianum secutus tradit) cum Camele æquæ indigena terram hanc ita participata potentiam possidebat, ut regio Camele oppidum Ianiculum uocitaretur. Post ad Ianum solum regnum redactum est, qui creditur geminam faciem protulisse, ut quæ ante, quæque post tergum essent, intueret. Quod procul dubio ad prudentiam regis solertiamque referendum est, quod & præterita nosset, & futura prospiceret: sicut Anteuorta & Postuorta diuinitatis scilicet aptissimæ comites, apud Romanos colunt. Hic igitur Ianus, cum Saturnum classe puectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiâ ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas uictum in melius redegisset, regni eum societate munerauit. Cum primus quoque æra signaret, seruauit & in hoc Saturni reuerentiâ, ut quoniam ille nauis fuerat aduectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera uero nauis exprimeret, quo Saturni memoriâ etiâ in posteros propagaret. Aes ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublimem iactantes, capita aut nauim, lusu teste uetustatis, exclamant. Hos unam concordem regnasse, uicinaque oppida opera communi condidisse, præter Maronem qui refert, Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen, etiam illud in promptu est, quod posteri quoque duos eis continuos menses dicarunt, ut Decembris sacrum Saturni, Ianuarius alterius uocabulum possideret. Cum inter hæc subito Saturnus non comparuisset, excogitauit Ianus honorum eius augmentum. Ac primum terram omnem ditioni suæ paritem, Saturniam nominauit. Aram deinde cum sacris tanquam deo condidit, quæ Saturnalia nominauit. Tot seculis Saturnalia præcedunt Romanæ urbis ætatem. Obseruari igitur eum iussit maiestate religionis, quasi uitæ melioris autorem. Simulacrum eius indicio est, cui falcem insigne messis adiecit. Huic deo insertiones furculorum, pomorumque educationes, & omnium eiusmodi fertilium tribuunt disciplinas. Cyrenenses etiam cum rem diuinam ei faciunt, ficis recentibus coronant, placentasque mutuo misistat, mellis & fructuum reptorem Saturnum extimantes. Hunc Romani etiam Sterculium uocant, quod prius stercore fecunditatem agris comparauerit. Regni eius tempora felicissima feruntur, cum propter rerum copiam, tum etiam quod non dum